



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 43. Rudolphus Rex eligitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI. se, sed ut suis inimicis omnem se calu-
 A.C. 1077. mniandi materiam subtraherent. Inter
 has querelas prima dies consumpta.

§. XLIII.

Rudolphus Rex eligitur.

Altera die ad Domum Legatorum se
 conferunt Principes, suggeruntque,
 funestum Schisma in toto Regno futu-
 rum, nisi fœderati in eo Conventu
 novum Regem eligerent. Respon-
 dent Legati: *Videtur nobis optimum fa-
 ctu, adventurum Pontificem expectare, si
 sine vestro periculo potestis; sed eligendi
 potestas in vestro arbitrio posita est, qui-
 bus nemo melius, quid Reipublicæ profit
 noceatve, novit.* Itaque Principes, in-
 certi an Pontifex venturus esset, cum
 contra periculorum, si differrent, essent
 certissimi, apud Archiepiscopum Mogun-
 tinum conveniunt, & postquam perpen-
 dissent, in ipsorum voluntate per Pon-
 tificem situm esse, an differrent vel sta-
 tim novum Caput sibi darent, eundem
 vetuisse, ne amplius Henricum Regem
 haberent, cui deinde Communionem Ec-
 clesiasticam quidem, sed non Regnum
 restituisset, integra libertate usi Regem
 eligunt Rudolphum Sueviæ Ducem, re-
 pugnantem, & saltem unius horæ spa-
 tium ad deliberandum petentem, eique
 protinus fidem jurant. Rudolphus ve-
 ro

ro jus succedendi filio suo afferere no-
luit, edicens, post mortem suam Princi-
pibus Germaniæ jus fore, eum eligendi,
quem dignissimum existimarent. Ele-
ctus est Forheimii decima quinta Martii,
anno millesimo septuagesimo septimo,
atque post duodecim exinde dies, scilicet,
Dominica ejusdem mensis die vige-
sima septima, in medio Quadragesimæ,
Moguntia ab Archiepiscopis Moguntino
& Magdeburgensi eorumque Suffraganeis,
Legatis Pontificiis presentibus,
oleo unctus est.

Sæculum XI.
A. C. 1077.

Ipsa qua unctus est die Rex Rudol-
phus, ut ostenderet, quam religiose man-
data Summi Pontificis servaturus esset,
cernens quemdam Subdiaconum, quem
Simonix reum sciebat, vestibus Sacris
indutum ad cantandam in Missa episto-
lam procedere, noluit eum audire, com-
pulsitque Sigefridum Archiepiscopum,
ut hanc lectionem alteri committeret.
Quæ res illico Regi Rudolpho Clerico-
rum Simoniacorum & incontinentium
invidiam creavit maximam. Quippe ipsa
die Clerici Moguntini contra Archiepi-
scopum, Regem, & Principes, seditionem
commoverunt, cumque Rex jam pransus
Vesperis interfuturus e Palatio descen-
deret, populus quasi furiis incitatus Ec-
clesiam Palatiumque armis aggressus est.
Equites tamen, qui Regem sequebantur,
Hist. Eccles. Tom. XV. Z etli

Hist. Bell.
Saxo. p. 135.

Sæculum XI. etsi essent inermes, nam in Quadragesima arma gestare non solebant, primum impetum utcunque represserunt. Verum expletis Vesperis, quia seditiosi necdum insanire desinebant, plus quam centum eorum tum ferro necati, tum in flumine submersi sunt. Legati illis, qui rebelles interfecerant, pœnitentiæ loco ut quadraginta dies jejunarent, aut quadraginta pauperes alerent, præscripserunt. Illico Rex Rudolphus, missis ad Papam Nunciis, se electum fuisse, & obedientem futurum significari iussit.

§. XLIV.

Pontifex anceps & incertus.

Hæc ex Scriptoribus Gregorio Papæ adiectissimis excerpta sunt. At Gregorius in epistola ad omnes Fideles directâ, testem Deum invocans, de Electione Rudolphi loquitur in hunc modum: *Visum est, indicandum vobis esse, Rudolphum, ab Ultramontanis Regem consecratum, non nostro mandato aut consilio Regnum accepisse, quin nos in Concilio decrevisse, ut Archiepiscopi & Episcopi, qui eum ordinarunt, sua Dignitate, & Rudolphus Regno exuerentur, nisi facti sui rationem, quæ rata haberetur, reddidissent.*

Præterea patet ex duabus epistolis, *Lib. IX. ep. paulo post quam Acta in Conventu Forcheimensi ad notitiam Papæ pervenire potue-*